An. et vol. XXXIV 14 Septembris 1942 (Ser. II, v. IX) - Num. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Epistula Apostolica, p. 233.

Acta Tribunalium: *S. Paenitentiaria Apostolica*: I, II. Decreta, p. 239.

Acta Officiorum: *Pont. Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos*: Responsa, p. 241.

Appendix: I, II, III. Documenta Pii Pp. XI, f. r., de Actione catholica provehenda, p. 242-264.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XLII

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 50 — extra Italiam, *L. it.* 70 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 4,50 extra Italiam, *L. it.* 5 —

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXIV, n. 9 - 14 Septembris 1942)

ACTA PII PP. XII

EPISTULA APOSTOLICA

PAG.

Haud mediocrem. - Ad Venerabiles Fratres Danielem Rivero, Archiepiscopum Sucrensem ceterosque Boliviae Episcopos et locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: de sacrorum Seminariorum causa deque recta Cleri institutione. - *23 Novembris 1941* 233

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

I. Decretum. Indulgentiae augentur tactui paenitentialis virgae adnexae. - *20 Iulii 1942* 239

II. Decretum. Augentur facultates circa indulgentiarum concessionem. - *20 Iulii 1942* 240

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

Responsa ad proposita dubia. - *27 Iulii 1942* 241

APPENDIX

DOCUMENTA PII PP. XI, F. R., DE ACTIONE CATHOLICA PROVEHENDA

PAG.

I. *Vos Argentinae Episcopos.* - Epistula ad Venerabiles Fratres Iosephum Bottaro, Archiepiscopum Bonaërensem, ceterosque Argentinae Reipublicae Archiepiscopos atque Episcopos. - *4 Decembris 1930* 242

II. *Observantissimas litteras accepimus.* - Epistula ad Exc̃mum P. D. Ismaëlem Perdomo, Archiepiscopum Bogotensem, ceterosque Archiepiscopos atque Episcopos et locorum Ordinarios Columbianae Reipublicae. - *14 Februarii 1934* 247

III. *Con singular complacencia.* - Carta Apostólica a los Venerables Hermanos, los Arzobispos, Obispos y demás Ordinarios de las Islas Filipinas. - *18 de Enero de 1939* 252

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
S. GIOVANNI BATTISTA NELL'ARTE di R. PLUS, S. I. Versione dal francese del Dr. D. FRANCINI. - In-4° (cm. 33×25). Edizione di lusso in carta grevissima speciale. Sopraccopertina in tricromia riproducente «Il Cristo in Croce» di Mattia Grünewald. Pp. 56 di testo, 123 artistiche illustrazioni fuori testo e indice (gr. 1600).	80 —	83 —	93 —
LA REVERENDA CAMERA APOSTOLICA. Studio storico-giuridico, di Guglielmo FELICI, 1940. In-8°, pag. XII-464	50 —	50 —	56 —
P. AGATHANGELUS A LANGASCO O. M. CAP. **DE INSTITUTIONE CLERICORUM IN DISCIPLINIS INFERIORIBUS. Legislatio canonica.** Typis polyglottis Vaticanis, in-8°, pp. XVI-292. INDEX: Praeliminaria, pars I, Praeformatio iuris vigentis; pars II, Ius Codicis; pars III, Ius comparatum — Appendices (Specimina programmatum et prospectus organizationis scholasticae Ecclesiae et praecipuarum Civitatum)	25 —	26,50	30 —
LEZIONI DI PALEOGRAFIA del Prof. GIULIO BATTELLI — SECONDA EDIZIONE. Pagg. X-241 - 1939.	32 —	33,50	37 —

An. et vol. XXXIV 14 Septembris 1942 (Ser. II, v. IX) - Num. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

EPISTULA APOSTOLICA

AD VENERABILES FRATRES DANIELEM RIVERO, ARCHIEPISCOPUM SUCRENSEM CETEROSQUE BOLIVIAE EPISCOPOS ET LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem — Haud mediocrem id Nobis laetitiam attulit vos nempe superiore anno, mense Novembri, Copagabanam in pium fraternumque coetum convenisse, auspice ac patrona Deipara Virgine, ut prope sacras eius aedes, quas recens Nos ad Basilicae dignitatem eveximus, spiritualibus dilectissimae istius Nationis necessitatibus consuleretis.

Cum autem Apostolicus apud vos Nuntius de gravibus hisce ac multiplicibus rebus certiores Nos fecisset, quae ad catholicam Boliviani populi religionem christianosque mores pertinent, quasque diligentia ac studio vos communiter pertractastis, haec Nos omnia intentissimo animo perpendimus; ac fore confidimus, ut eiusmodi deliberationes ac scita vestra, prudenti consilio ad effectum deducta, reapse ad meliorem felicioremque religiosarum rerum apud vos condicionem Deo iuvante conferant.

Peculiari vero delectatione idcirco affecti sumus, quod vos novimus de sacrorum Seminariorum causa deque recta Cleri institutione conformationeque hoc in coetu vestro fuisse sollicitos. Iamvero hac ipsa super re, summi momenti summaeque gravitatis, ex qua religionis status atque

incrementa futuro tempore pendent, cupimus Nos per has litteras vobiscum paterno animo colloqui; ita quidem ut sentiatis veluti praesentes Nos vobis adesse vestrasque pastorales curas impensissime Nos participare.

Constat inter omnes nullo non tempore ac penes cunctas gentes Ecclesiam in id potissimum vires sollicitudinesque contulisse suas, ut futuros sacrorum administros rite institueret sancteque conformaret. Etenim cum excelsa sit sacerdotis dignitas, qui iure meritoque « alter Christus » vocatur, cum ineffabilis sit atque arcana prorsus eius potestas in verum ac mysticum divini Redemptoris corpus, cumque munus eidem demandatum, sanctitatis nempe in christiano populo excitandae, grande altissimumque sit, omnino necesse est ut is virtute ac doctrina inter ceteros homines, e quibus delectus est, praestet atque emineat, et sicut lucerna supra candelabrum posita « luceat omnibus qui in domo sunt ». [1]

Quam ad rem, vix attinet in memoriam vobis reducere, Venerabiles Fratres, miranda illa praecepta, quae Decessor Noster im. rec. Pius XI per Encyclicas Litteras « Ad catholici sacerdotii » [2] christiano populo impertiit, quaeque pluries, usque pene ad postremos clarissimi sui Pontificatus dies confirmavit, sicut exempli gratia per Epistulam Apostolicam ad Venerabiles Fratres Insularum Philippinarum Episcopos datam die XVIII mensis Ianuarii, anno MDCCCCXXXIX. [3]

Ad Nos vero quod pertinet, ut nostis, recentes adhuc a Summo inito Pontificatu, sacrorum alumnos, qui die XXIV mensis Iunii, anno MDCCCCXXXIX, frequentissimi Nobis coram convenerant, alloquendo edocuimus quibus animi dotibus ac laudibus, ad intellegentiam et ad optimos mores quod spectat, altaris administri instruantur oporteat, et quantopere necessarium sit seminariorum scholasticos in hisce potiundis dotibus actuose exerceri.

Ac vehementer cupimus a Deoque ominamur ut quae est Ecclesiae doctrina de catholici sacerdotii dignitate deque eius praerogativis ac muneribus, eam sacri ordinis candidati saepenumero impenseque meditentur, ut ad necessarios exantlandos labores rerumque superandas gravitates excitatos se sentiant, atque adeo minus indigni divina vocatione evadant.

Ita profecto fiet ut Seminaria, divino adspirante iuvanteque Spiritu, sacri Caenaculi imaginem referant; in iisdemque alumni efficiantur veluti renovati homines, qui animo integerrimo, voluntate recta, flagran-

[1] MATTH. V, 15.

[2] V. *Acta Apostolicae Sedis*, an. 1936, pag. 5.

[3] V. pag. 252 huius fasciculi.

tique studio, sua munia utpote « ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei »[4] exsequi valeant.

Haud ignoramus, Venerabiles Fratres, varia difficultatum genera praepedire quominus in Natione vestra Seminariorum causa ad rationem necessitatibus parem celeriter expediteque adducatur. Quapropter cum res agatur, e qua potissimum in Boliviano populo christianae religionis incrementa pendent, eam mature perpendendam decernendamque Sacro Consilio commisimus Seminariis studiorumque Universitatibus praeposito; quod quidem Consilium cum ea scita consultationesque intente accurateque reputasset, quae in Episcopali Conventu vestro fuere inita, cumque doctorum probatorumque hominum sententiam antea exquisiisset, in pleno coetu die XXIX superioris mensis Iulii habito, in eas deliberationes venit, quas Nos Apostolicae huic Epistulae adiectas, vobiscum communicamus.

Quod adfirmate suscepistis propositum — quemadmodum ex Conventus vestri actis eruitur — non modo communes sed extraordinarias etiam rationes atque opes hanc in rem adhibendi, id certam Nobis spem affert grato vos esse obsequentique animo eas accepturos normas, quas Apostolica haec Sedes idcirco ediderit, ut vestris votis occurreret, vosque pro facultate iuvaret ad haec eadem omni nisu collatisque viribus ad effectum feliciter deducenda.

Ac peculiari modo futurum confidimus, ut vos omni ope eo contendatis ut Seminarium Maius quam primum constituatur, quod ceterorum omnium, quae Minora Seminaria vocantur, veluti centrum sit ad altiores addiscendas disciplinas.

Quam ad rem ea vobis in memoriam revocamus, quae Decessor Noster v. r. Pius XI in iisdem scripsit Encyclicis Litteris « Ad catholici sacerdotii », cum necessitatem animadverteret, pro quarumdam regionum dioecesibus, commune condendi Seminarium, quod indito proposito ac muneri satius meliusque responderet. « Haud mediocres, quae inde orientur, utilitates procul dubio suscepta incommoda atque impensas resarcient; ac vel id, quod Episcoporum animos nonnumquam maestitia afficit — suos nimirum sacrorum alumnos cernere ab Pastore per temporis spatium abstractos, qui apostolicum, quo flagrat studium in suos laboris socios transfundere percuperet, itemque a locorum finibus abductos, ubi aliquando ipsimet suam navabunt operam — id etiam, dicimus, satis superque idcirco compensabitur, quod eos stato tempore excipient illa spiritualium rerum copia institutos conformatosque, quam, maiore cum Dioecesis suae profectu, ceteris impertient ».

[4] Cf. *I Cor.* IV, 1.

Opportunum vero ducimus peculiarem heic Instituti illius mentionem facere, quod est paene sub oculis Nostris, Nobisque est sane carissimum; Collegium dicimus Pium Latinum Americanum huius Almae Urbis, quod iam plusquam octoginta annos ad sacerdotes non paucos, e variis Americae Latinae Nationibus adlectos, exculte sanctissimeque instituendos tantopere contulit. Est profecto cur Nos spem foveamus bonam fore ut Collegium idem in posterum sacrorum illos alumnos rite solideque conformare ne praetermittat, quos vobis etiam curae fuerit, ut ceteris Venerabilibus Fratribus e mediae australisque Americae Dioecesibus, frequentiores usque ac fidenti animo eidem concredere, ut prope Nos Nostramque Vaticanam Sedem ad sacerdotalem potiundum ordinem, diligenti data opera, contendant.

Supervacaneum autem putamus vos paterno commonere animo, ut a vestra etiam largitate caritateque opes ne desint, quae Collegio huic necessariae sint, ut commissum sibi grave munus exsequi queat. Fore igitur confidimus ut, cum e Bolivianis Seminariis, novo ordine novaque ratione, ut supra diximus, compositis — quae quidem, ut pro certo habemus, vos in oculis gestabitis — tum ex adiutrice Collegii Pii Latini Americani opera, sacrorum administri haud post multum temporis apud vos succrescant, qui pietate, doctrina et frequentia spiritualibus non sint hodiernae Boliviae necessitatibus impares.

Ad quod propositum assequendum apostolici laboris vestri socios eos omnes habebitis, qui vestris sunt demandati curis; iique nominatim ut vos adiuvent ominamur, qui publica in Civitate vestra auctoritate fruuntur, itemque sacerdotes, patres matresque familias, iique etiam qui in Catholicae Actionis ordines adsciti sunt.

Eos igitur omnes, qui in patria vestra catholico gloriantur nomine, paterno adhortamur animo ut effusa generosaque voluntate, quemadmodum omnibus officio est, adiutricem vobis velint navare operam — admotis potissimum ad Deum precibus atque undique corrogata stipe — ad divinas excitandas alendasque ad sacerdotium vocationes et ad gravissimam Seminariorum causam apud vos promovendam.

Atque in primis pro certo habemus eos ipsos, qui rem publicam apud vos moderantur, cum procul dubio pernoscant Clerum optime institutum ad spiritualem augendam relevandamque populi condicionem, ad eius probe conformandos cives multum multumque conferre, ea omnia adiumenta ac fulcimina vobis esse praestaturos quibus indigeatis, quibusque eiusmodi labor vester minus arduus fiat.

Patres vero matresque familias, pro parte cuiusque sua efficient, ut domesticus convictus veluti viridarium evadat, ubi parvula futuri sa-

cerdotii germina sponte succrescant ac floreant. Iidem igitur, quamquam liberum atque integrum suae suboli remittant oportet propriam sibi ducendae vitae rationem ac viam deligere, debent tamen omni, quo possunt, modo — intemeratis nempe suis moribus in exemplum propositis, assiduis ad Deum adhibitis precibus, atque opportunis praebitis suasionibus — divinam alicuius e filiis suis ad sacra capessenda munia vocationem fovere; quam quidem vocationem praecipuum supernae gratiae supernique amoris signum agnoscent, itemque sibi suisque omnibus caelestium munerum fontem.

Iis autem, qui in Actionis Catholicae agminibus militant, peculiare huius quoque rei provehendae officium est, utpote qui auxiliares Sacerdotii et ecclesiasticae Hierarchiae copiae habendi sint; quapropter laeta spes Nobis est eosdem, in dilecta etiam Bolivianorum Natione, modis illis ac rationibus, quae vos, Venerabiles Fratres, opportuna decreveritis, hortamentis hisce Nostris volenti esse animo responsuros.

Haud tamen dubium est praecipuum gravissima hac in causa laborem ad sacerdotes pertinere; qui quidem et pro credito sibi munere, et ex ipsa Ecclesiae lege [5] eos iuvenes deligere debent, qui divinae ad sacerdotium vocationis indicia praebeant; eosque ad pietatem fovendam, et ad disciplinarum amplectenda studia excitabunt, dum eorum innocentiam pro viribus sartam tectamque tuebuntur. Cum vero nihil magis ad virtutem compellat omnes, quam optime vivendi exempla, tum solummodo poterunt sacrorum administri huic officio respondere, cum suam vitam traducent pietate fervidam, morum integritate nitentem, ac se devovendi studio conspicuam; ita enim excelsa ac luculentissima sacerdotalis muneris species fidelium oculos alliciet. Quamobrem etiam atque etiam eos obtestamur ut omni nisu apostolicum studium in semet ipsis alant, et quam in sacra Ordinatione susceperunt gratiam, eam, precando ac sese coram Deo recolligendo, ita adaugeant ac corroborent, ut nulla quisquis macula eos umquam adspergere valeat [6] sed iidem ipsi sincere queant Apostoli gentium sententia commonere fideles: « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi ». [7]

Ut autem haec Nostra vestraque vota, Venerabiles Fratres, quae eo spectant, ut sacrorum administri rite sancteque instituantur et carissima Boliviae gens elatiore cotidie christianae virtutis laude eniteat ac floreat, ad rem feliciter deducantur, Deiparam Virginem, Patriae vestrae Patronam, impensissime precamur, benigna ut velit in vobismet

[5] Cf. *Cod. I. Can.*, can. 1353.
[6] Cf. ad *Tit.* II, 8.
[7] *I Cor.* IV, 16; XI, 1.

ipsis, in sacerdotibus sacrorumque alumnis et in christifidelibus omnibus caelestium rerum adaugere desideria, actuosumque refovere studium divini Filii sui Regnum dilatandi in amplissimis Reipublicae vestrae regionibus.

Quorum quidem supernorum munerum conciliatrix esto, paternaeque benevolentiae Nostrae pignus Apostolica Benedictio, quam tum vobis, Venerabiles Fratres, Clero sacrique Ordinis candidatis, tum universae Bolivianorum Nationi, iisque nominatim, qui digne eius sortes fortunamque moderantur, effuso animo impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIII mensis Novembris, in festo Sancti Clementis I Papae et Martyris, anno MDCCCCXXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. XII

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

I

DECRETUM

INDULGENTIAE AUGENTUR TACTUI PAENITENTIALIS VIRGAE ADNEXAE

Quinto ac vicesimo feliciter exacto anno, ex quo Ssm̃us Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XII Episcopali fuit dignitate ornatus, cum Ipse eiusmodi celebrationem percupiat spirituali modo a christifidelibus peragi, cumque novum paternae benevolentiae Suae documentum Ecclesiae filiis praebere voluerit, divino Iesu Christi sanguine redemptis, Indulgentiam paenitentialis virgae tactui adnexam eā, quae infra exponitur, ratione adaugere dignatus est.

Scilicet in Audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori die VIII mensis Iunii data, *trecentorum dierum Indulgentiam* semel in die lucrandam christifidelibus omnibus concessit, qui quolibet anni die, in Basilicis Lateranensi, Vaticana, Liberiana, Ostiensi, Minores Paenitentiarios adierint, seseque, christianae humilitatis sinceraeque contritionis sensibus animatos, paenitentiali virga tangendos submiserint.

Christifidelibus autem, qui Em̃um Cardinalem Paenitentiarium Maiorem, munere suo statutis maioris hebdomadae diebus in memoratis quattuor Basilicis fungentem, adierint, quique iisdem sensibus animati, paenitentiali virga tangendos se pariter submiserint, *partialem septem annorum Indulgentiam* lucrandam benignissime concessit.

Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione, et contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, e Sacra Paenitentiaria, die 20 Iulii 1942.

N. Card. CANALI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

II

DECRETUM

AUGENTUR FACULTATES CIRCA INDULGENTIARUM CONCESSIONEM

In fere innumeris observantiae, amoris pietatisque documentis, quibus christifideles quintum ac vicesimum emensum annum, ex quo Augustus Pontifex Pius XII Episcopali dignitate insignitus est, spirituali modo, ex expressa ab eodem Summo Pontifice voluntate, concelebrant, ea peculiari ratione Sanctitati Suae grata obveniunt, quae vel a Purpuratis Patribus vel ab Excellentissimis Episcopis locorumque Ordinariis undique catholici orbis Eidem admoventur; utpote qui communis Patris Pastorisque animo propius adsint, Eiusque gravissimas curas in Ecclesia gubernanda participent.

Quam quidem gratam voluntatem ut Sanctitas Sua testetur, utque paternam sollicitudinem Suam erga universum Sibi creditum gregem ostendat, spiritualem Ecclesiae thesaurum latius patere voluit; atque adeo in Audientia, die VIII mensis Iunii infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa, haec, quae sequuntur, decrevit ac statuit:

I. Facultas impertiendi Benedictionem papalem cum Indulgentia plenaria, de qua in can. 914 Cod. Iur. Can., ita adaugetur, ut Episcopis ter in anno, Abbatibus autem, Praelatis *nullius*, Vicariis ac Praefectis Apostolicis bis in anno eam impertire liceat ad normam eiusdem canonis.

II. Itemque facultas Indulgentias concedendi, Abbatibus ac Praelatis *nullius* per can. 323 data, Vicariis vero ac Praefectis Apostolicis per can. 294, atque Episcopis residentialibus per can. 349 § 2 n. 2 impertita, sic augetur, ut iisdem liceat *Indulgentiam centum dierum* concedere. Facultas autem Archiepiscopis per can. 274 n. 2 data, ita pariter adaugetur, ut *ducentorum dierum Indulgentiam* iisdem concedere liceat. Ac postremo, facultas Emis Patribus Cardinalibus per can. 239 § 1 n. 24 concessa, ita amplificatur, ut iisdem fas sit *trecentorum dierum Indulgentiam* dilargiri.

Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione, et contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, e Sacra Paenitentiaria, die 20 Iulii 1942.

N. Card. CANALI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO
AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Emi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I – DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS

D. An vi canonis 81, conlati cum canone 1045, Ordinarius dispensare valeat ab impedimentis matrimonialibus intra fines eiusdem canonis 81, etsi nondum omnia parata sint ad nuptias.

R. Affirmative.

II – DE INCARDINATIONE RELIGIOSI SAECULARIZATI

D. Utrum verba canonis 641 § 2: *Episcopus potest probationis tempus prorogare,* intelligenda sint tantum de prorogatione expressa, an etiam de prorogatione tacita.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

III – DE IURE ACCUSANDI MATRIMONIUM

D. Utrum, secundum canonem 1971 § 1 n. 1 et responsum diei 17 iulii 1933 ad II, inhabilis ad accusandum matrimonium habendus sit tantum coniux, qui sive impedimenti sive nullitatis matrimonii causa fuit et directa et dolosa, an etiam coniux qui impedimenti vel nullitatis matrimonii causa exstitit vel indirecta vel doli expers.

R. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 27 mensis Iulii, anno 1942.

M. Card. MASSIMI, *Praeses.*

L. ✠ S.

I. Bruno, *Secretarius.*

Ad maius inquirentium commodum *Appendix* additur in qua aliquae Epistulae de Actione Catholica provehenda referuntur, quae ad Excmos DD. Ordinarios Argentinae, Columbiae et Insularum Philippinarum a Pio Pp. XI. f. r., missae fuerunt.

APPENDIX

I

EPISTULA

AD VENERABILES FRATRES IOSEPHUM BOTTARO, ARCHIEPISCOPUM BONAËRENSEM, CETEROSQUE ARGENTINAE REIPUBLICAE ARCHIEPISCOPOS ATQUE EPISCOPOS.

PIUS PP. XI

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Vos Argentinae Episcopos, auspice quidem Nuntio Nostro penes Nationem istam nobilissimam, in eo esse ut novo admodum consilio atque alacritate Actionem Catholicam, quam vocant, promoveatis, perlibenti animo didicimus. Egregia enim sollertia vestra perspecta, certa spes est praeclaros sane salutis fructus in regione ista amplissima ac florentissima ex impensiori Actione Catholica perceptum iri, propterea quod eas vos normas in hac re sequi vobis proponitis quas Nos plus quam semel praecepimus.

Profecto, cum, occasione data, de natura, finibus atque necessitate Actionis Catholicae, hoc praecipue tempore, provehenda, saepius locuti simus, opus non est cur pluribus in argumento huiusmodi utamur verbis, persuasum habentes id esse vobis probe cognitum.

Meminisse tamen iuvat Actionem Catholicam idem esse ac operam quam laici in apostolatu exercendo sacrae Hierarchiae navant; eam igitur cum Ecclesia ipsa initium cepisse, atque idcirco novas formas sumpsisse recens quo aptius his temporibus responderet. Iamvero ob hoc ipsum quia apostolatus est, eadem non sola singulorum sanctificatione, quamvis haec omnino uti fundamentum necessaria sit, continetur, sed maximum proximorum bonum promovendum curat, idque per communem catholicorum actionem qui, sapienti quidem Hierarchiae moderationi obsequentes, ad Christi regnum per terrarum orbem amplificandum efficaciter conferunt. Itaque praecellens sane est Actionis Catholicae finis, cum idem sit ac Ecclesiae propositum; secundum illud: Pax Christi in regno Christi. Quod si Actio Catholica ad fideles omnes eorumque salutaria coepta extenditur, haud inde sequitur religiosa ea

sodalitia auferenda esse quae egregie de re catholica nullo non tempore merita sunt, illa praesertim quae iuvenum conformandis animis et christianae provehendae pietati impensam iam dudum dant operam: quin imo, cum ipsa ad animos christiana virtute imbuendos sanctosque mores efformandos plurimum conferant, magnum certissime ex eorum opera Actio Catholica emolumenti capiet atque incrementi.

Non parum itidem utilitatis e societatibus de re oeconomica et sociali profiscitur; qua in re, ut omnis prorsus ambigendi causa auferatur, animadvertendum est ipsas — quamvis suam operam ad Actionis Catholicae proposita atque instituta dirigant — quatenus tamen ad homines iuvandos in re oeconomica et in sui cuiusque munere vel arte respiciant, suam propriam agendi rationem in se recipere, deque eadem ipsas tantummodo respondere. Quod autem ad religionem attinet christianosque mores, societates, quas diximus, ab Actione Catholica omnino pendeant; cui propterea si operam navare velint, ut cetera christiana apostolatus instrumenta ac rationes, praesto esse debent.

Multo magis vero praecavendum est ne Actio Catholica politicis partibus implicetur, quandoquidem, suapte natura a civilium factionum studiis aliena prorsus esse oportet. Qua quidem praescriptione, nolumus equidem viam catholicis praecidere rei publicae negotia pertractandi, dummodo omnis eorum opera catholicae doctrinae Ecclesiaeque normis ne repugnet: quin immo nihil prohibet quominus catholicus vir politicis quoque partibus asciscatur, modo tamen ne ipsarum proposita, atque coepta sanctis Dei legibus adversentur. Ceteroquin, quamquam Actio Catholica, ut alias ediximus a civilium studiis partium se omnino abstinere debet, nihilominus ad commune Societatis bonum magnopere conferet, tum catholicae religionis praecepta, publicae quidem prosperitatis et columen, quam latissime in usum deducendo, tum ad christianam vitae perfectionem sodalium animos tam alacriter excitando, ut iidem, quasi sacra facta phalange, non modo Ecclesiae sed civilis etiam ac domesticae vitae consortionis utilitates et commoda animose provehant atque tueantur. Quod si politicae quaestiones interdum rem catholicam morumque doctrinam attigerint, Actio Catholica non tam potest quam debet operam suam interponere; idque peculiari singulorum bono posthabito, catholicorum sollertiam ad potiorem Ecclesiae animarumque utilitatem dirigendo, quicum ipsa rei civilis incrementa apprime coniunguntur.

Postquam igitur breviter hucusque de natura ac propositis Actionis Catholicae mentionem fecimus, paulo fusius vobiscum colloqui Nobis placet de necessitate clerum lectosque de populo viros quam aptissime

apparandi ut per nobilissimum huiusmodi inceptum, quod aggredimini, Actio Catholica novo ac praestantiori ordine constituatur.

Ante omnia, pernecesse est ut clerus laicique homines non modo naturam, proposita rationesque Actionis Catholicae, sed etiam officium, quo sacerdotes et laici, etsi absimili modo, obstringuntur, hanc apostolatus rationem provehendi pernoscant, quae reapse, ut diximus, a priscis Ecclesiae temporibus incepit: nec ignorare debent Actionis Catholicae necessitatem, beneficia sane plurima in supernaturali et naturali ordine, ad religiosae civilisque rei emolumentum.

Quod vero ad clerum pertinet, in hac causa sanctissima considerari oportet Actionem Catholicam, quamvis laicorum hominum actio sit, ipsamet rerum natura, neque oriri, neque proficere, neque demum suos edere fructus sine sedula diligentique sacerdotum opera. Hi enim laicos ita moderari debent ne eorum actio a recta via, quo tendere debet, abducatur, utque, qua par est animorum fidelitate, ecclesiasticae Hierarchiae normas nullo non tempore sequatur. Praeterea sacerdotum est Actionis Catholicae sodales christiano more plane conformare, eos maxime qui moderatorum munia suscepturi sint; siquidem dumtaxat e sacro ordine homines, qui sunt « ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei » (I Cor. IV, 1) ut divinum mandatum obtinet ita necessariis subsidiis non indigent.

Etenim nemo apostolus esse potest nisi prius fuerit christiana virtute pollens: quandoquidem liquide patet non posse homines Iesu Christi spiritu alios imbuere qui hoc eodem spiritu non ferveant, secundum illud: « Nemo dat quod non habet ». Christiana huiusmodi animorum conformatio, quae sacerdotum navitati imprimis committitur, conditio est tam necessaria, ut, si ea desit nec mansurus nec frugifer apostolatus esse possit.

Novimus equidem quam alacrem studiosamque operam clerus in hoc coepto persequendo, in quod tam sedulo incumbit, impendere debeat. At vero Sacerdos nonne vitae laboris et doloris plenae sese devovit? Ceterum hos ipsos labores doloresque beneficia non pauca consequi solent; sacerdotes enim in Actionis Catholicae sodalibus sollertes fidelesque operis socios agnoscent qui apostolicam ipsorum operam valde augebunt, quin immo ulterius provehent, quo ipsimet sacerdotes pertingere nequeant. Huc accedit quod adulescentes non pauci — ut in aliis regionibus experiendo exploratum est — ex Actionis Catholicae catervis in sortem Domini vocabuntur, qui clerum, quo nonnullae Dioeceses vestrae dolenter indigent, adaugebunt.

Non ignoramus, Venerabiles Fratres, qua vos pastorali sollicitudine

curetis ut clerus vester aptior in dies fiat peculiaribus eis officiis quae ad ipso Actio Catholica postulat; quidam enim ex clero in almam hanc Urbem, Beati Petri Sedem, a vobis missi sunt ut propius Nostram in hac re voluntatem pernoscerent: de quo gratulantes, merita vos laude prosequimur.

Quod attinet ad laicos homines apparandos, qui socii aliquando erunt Actionis Catholicae, ut frequentes dignique iidem in ipsam cooptentur, utilissimum erit admonere omnes quod Nos ab ipso quidem Pontificatus Nostri initio, profiteri consuevimus; Actionem nempe catholicam, quatenus apostolatus est, officium esse quo tum sacerdotes tum fideles omnes obligantur, cum hoc ipsum ex universali praecepto et Deum super omnia et alios ut nosmet ipsos diligendi proficiscatur. Etenim qui Deum diligit non velle nequit ut omnes eum diligant; qui autem proximum suum vere diligit, haud nequit sempiternam eius salutem non optare vel nolle.

Iamvero in hoc, tamquam fundamento, apostolatus consistit; qui nihil aliud est quam usus quidam christianae illius caritatis qui omnibus hominibus praescriptus est.

At, praeter caritatis officium, christianus apostolatus debita est tamquam gratiae actio Iesu Christo tributa: cum enim alios spiritualium donorum, quae nos a divina liberalitate accepimus, compotes efficimus, optatis Cordis Iesu dulcissimi satisfacimus qui quidem nihil magis exoptat quam ut ab omnibus agnoscatur et redametur; quemadmodum ipse in Evangelio edicit: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » (Luc., XII, 49).

Insuper necessitudines temporum omnino postulant ut, quemadmodum vita, mores et alia huiusmodi identidem mutentur, ita clerus laicique homines novas christiani apostolatus formas opportune instaurent. Libenter igitur Actionem Catholicam, uti a vobis iam est innovanda, approbamus; haec enim inter alias apostolatus formas quae a laicis sunt exercendae melius necessitatibus horum temporum respondet, ut in ministerio Nostro amplissimo, quo dudum iam fungimur, experiendo cotidie magis perdiscimus.

Curionum autem ceterorumque sacerdotum opera, quamvis studiosa atque sedula. impar tamen est magnis necessitatibus quibus in praesens apostolatus opitulari debet: oportet igitur ut plurimos lectosque homines clerus habeat operis sui socios, qui longe lateque salutarem religionis vim effundant; quae subsidia consociationes sunt Actionis Catholicae. Quamobrem laeti accepimus ex allatis vestris consultationibus velle vos, optatis Nostris obsequentes, peramplam in Argentina catholicorum societatem constituere, in unum corpus coalescentem; ita tamen

ut viri a mulieribus, masculina iuventus a feminea separentur; quae quidem societas, Episcoporum itemque curionum, qui horum sunt procuratores, sapienti ductu, quasi auxiliarium Ecclesiae apostolatum in quovis sollertiae campo persequendo, plene apud vos Iesu Christi regnum instauret.

Quo autem arctius societates variae inter se copularentur, recte vos — quod laudabiliter iam factum est in aliis regionibus — praecipua quaedam virorum consilia (seu Juntas) condidistis: Consilium scilicet quod quasi centrum erit et caput totius Nationis, consilia dioecesana, consilia paroecialia: quae quidem consilia, cum ad unitatem conducant Actionis Catholicae universae (in quo vis consistit Societatis cuiuslibet), tum ad obsequium illud firmandum conferent erga moderatores ecclesiasticos, quod pulcherrimum est privilegium atque pignus fecundae mansuraeque vitae.

Iamvero, praeter magnam istam Institutionem, quae Actio Catholica *officialis* vocari poterit, alia iam apud vos sunt opera consociationesque quae vel ad pietatem religiosamque institutionem, vel ad caritatem et beneficentiam provehendas spectant; quae Nos, haud ita pridem occasione data, *auxiliaria* Actionis Catholicae appellavimus, propterea quod, cum aliqua Actionis Catholicae proposita in usum per se ipsa deducant, tum actuosos paratosque homines huic afferre possunt ac debent. Vehementer igitur gratulamur vobis, Venerabiles Fratres, quod operibus huiusmodi bene merentibus ad Actionis Catholicae incrementum utimini. Quod facilius profecto eveniet si hanc vos cum illis, uti confidimus, opportunis coniunctionis formis confectis, copulaveritis; ita ut eaedem, formas suas proprias atque proposita servantes, in Actionis Catholicae utilitatem reapse conferant.

Ceterum, magnas vobis grates de iis omnibus quae ad Actionem Catholicam provehendam hucusque egistis persolvimus; ac probe agnoscentes nihil prorsus boni fieri posse ab hominibus nisi Deus opportuna det incrementa, in caelestium munerum auspicium itemque in paternae benevolentiae Nostrae signum, vobis, Venerabiles Fratres, iisque omnibus qui in Actione Catholica promovenda sedulam vobis navant operam, Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die IV mensis Decembris anno MCMXXX, Pontificatus Nostri nono.

PIUS PP. XI

II

EPISTULA

AD EXCM̃UM P. D. ISMAËLEM PERDOMO, ARCHIEPISCOPUM BOGOTENSEM, CETEROSQUE ARCHIEPISCOPOS ATQUE EPISCOPOS ET LOCORUM ORDINARIOS COLUMBIANAE REIPUBLICAE.

PIUS PP. XI

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Observantissimas litteras accepimus, quibus tibi cordi fuit, ceterorum etiam Columbianae Reipublicae Episcoporum nomine, de iis rebus Nos certiores reddere, quae in Episcopali Conventu, istic superiore mense habito, disceptatae communiter, conlatisque consiliis decretae fuere; quibusque studiosam Nobis voluntatem testari voluisti, qua cum Apostolica hac Sede obedientibus animis devincimini. Cui quidem actuosae voluntati vestrae pastoralis illa sollicitudo fidem addit, qua datis a Nobis normis per Apostolicum apud vos Nuntium, de causis quibusdam, quas Columbianae Ecclesiae utilitati peropportunas autumamus, omnino vos obtemperaturos esse spondetis.

Cum de ceteris a vobis initis consiliis, quae Apostolicae Sedis iudicio probanda rettulistis, mentem Nostram, si opus fuerit, aperire in aliud tempus reservamus, tum in praesens maximopere Nobis curae est de suscepto proposito gratulari vobis, provehendi scilicet, per impertita religionis praecepta ac praesertim per invectam usquequaque Actionem Catholicam, rectam christifidelium institutionem educationemque, itemque christiani spiritus incrementum in publica hominum consortione tutandi.

Iamvero, hortationibus monitionibusque perspectis, quas hac super re, inde ab editis Encyclicis Litteris « Ubi Arcano », iterum iterumque habuimus, neutiquam dubitamus quin Columbiae Episcopis, quorum apostolicum studium atque intentam animarum curam pernovimus, omnino persuasum sit Actionem Catholicam praesentibus condicionibus, ubicumque Ecclesiae factis, non tam utilem quam prorsus necessariam esse.

Etenim, cum nostra hac aetate christianae fidei osores, multiplici atque impensa sollertia sua, nihil reliqui faciant, ut in populum, ac potissimum in operariam plebem iuvenumque ordines, lamentabilia in-

ducant detrimenta, idcirco catholicae Ecclesiae administri iam impares evadunt, ut increbrescentibus flagitiorum propugnatoribus eorumque praepotentibus opibus obsistere atque obniti quaeant. Neque potest interdum sacerdotum opera per omnes societatis venas permanare, quandoquidem cives non desunt, qui vel eam pro suis rerum adiunctis praepediant, vel ob suum ipsorum vitae genus sacram cleri dignitatem ab se arceant, quamvis eorum munere summopere indigeant. Inde necessitas oritur adiutricis illius christifidelium navitatis, quam non sine divino instinctu ediximus laicorum homnum « partecipationem » hierarchici Ecclesiae apostolatus.

Quos quidem laicos homines ipsum caritatis praeceptum commovere debet ut omni, qua possunt, ratione atque opera, caelestis Numinis iniuriam prohibeant ac spiritualia proximorum detrimenta; siquidem non sacerdotibus tantummodo sed cuique « mandavit Deus de proximo suo »; immo nobilis est et veluti insita eorum animis necessitas, qui ob acceptum pretiosissimum christianae fidei donum grati in Deum feruntur, eiusdem fidei propagandae in ceterisque excitandae studium, secundum illud: « Bonum est diffusivum sui ». Eoque vel magis hoc anno, divinae Redemptionis memoriae sacro, boni omnes compellantur oportet ad sanctam catholicae Actionis militiam participandam, cui porro munus creditum est et salutaris eiusdem Redemptionis undae quam latissime derivandae, et ubicumque terrarum optatissimi pacis Regni confirmandi a Iesu Christo invecti.

Enimvero non novum rei genus agitur, quandoquidem, ut non semel occasione data monuimus, Actio Catholica, ad rem quod attinet, et antiquissimae Ecclesiae aetati coniungitur, et inde ab inito christiano nomine in Sacris Litteris commendatur, et de catholicae fidei propagatione nullo non tempore optime meruit. In praesens vero rationes novas novaque munera suscepit, hodiernis necessitatibus consentanea; in pluribus nationibus constituta fuit inque ipsis regionibus a Missionalibus peragratis; atque ubicumque in aptum ordinem redacta fuit, ubicumque propositum suum obire et ad rem deducere libere potuit, optimos inibi salutis edidit fructus.

In eam igitur fideles omnes cuiusvis aetatis, cuiusvis generis coalescant, cum nulli in mystica vinea Domini renuatur labor; ac, quemadmodum eadem utriusque sexus iuvenes, ita aetate provectos homines ac mulieres recte componere et consociare debet: pro peculiaribus vero condicionibus, cum opificum, tum praeceptorum, tum eorum denique qui honestioribus artibus vel litteris addiscendis se dedunt, vel laurea donati sunt, peculiares vias agendique rationes utiliter suscipiat.

Hoc praeterea animadvertere non omnino supervacaneum putamus: cum ii scilicet non possint in hierarchici apostolatus inceptis dignam efficientemque praestare operam, qui christianis moribus non praefulgeant, qui catholicis praeceptis rite instructi non sint, quique Iesu Christi non flagrent animarumque amore, quas ipse suo pretioso sanguine redemit, idcirco propositum, cui primo loco Actio Catholica instare debeat, eiusmodi profecto esse, ut in iuvenum ac, si opus fuerit, in hominum etiam et mulierum coetibus, omnium animi ad religionem, ad morum probitatem et ad « socialem » veri nominis doctrinam recte conformentur, pietate equidem virtuteque duce, ac studiosa in Ecclesiam observantia inque supremum eius moderatorem, Romanum nempe Pontificem.

Minime igitur ambigimus quin vos, Venerabiles Fratres, pro certo habentes opportunam consentaneamque rerum divinarum cognitionem fundamentum esse ac columen spiritualis animorum conformationis totiusque christianae vitae, omni ope omnique ratione accuraturi sitis, ut religionis institutio quacumque pervulgetur apteque omnibus impertiatur. Haec enim ut hominibus cuiusvis ordinis necessaria est, quicumque vel humili vel elata fortuna utuntur, ita aetates omnes complectitur, puerorum nempe, iuvenum atque adultorum. Catechismi siquidem doctrina, quemadmodum haud paucis abhinc annis, occasione data monuimus, ad ea omnia spectat, quae a singulis christifidelibus idcirco pernoscenda sunt, ut rite Deo famulentur, ut humanam servent dignitatem, ut suis denique cuiusque officiis obsequantur, iis etiam, quae ad civilem societatem pertineant. Cum vero homines aetate ac rerum scientia adoleverint, catechetica haec disciplina latius patet, et quae in minutulo volumine perstringebantur veritates, eas uberius persequendo explicat, earumque explanationem praebet, pleniorem utique luculentioremque ac — pro variis vitae condicionibus, necessitatibus, muneribus — magis magisque consonam.

Tametsi, quoniam iuvenum mentes, si facilius fidei veritates attingere atque imbibere possunt, erroribus tamen quocumque hodie irrepentibus, dubitationibus ac vel eiusdem fidei iacturae magis quam ceterorum animi obiiciuntur, valde opportunum est ut vos, Venerabiles Fratres, paternas curas sullicitudinesque vestras ad iuventutem potissimum convertatis; ac nominatim ad eos qui litteris se dedunt, ut iidem benevole a sacerdotibus et a catechistis excipiantur, qui — ab humanis et a divinis disciplinis bene instructi — omnibus viribus omnibusque rationibus, quas animarum studium suggesserit, eos catholicae religionis doctrina imbuant, illustrent atque confirment.

Ad quod iuvenes recte conformandi officium necesse prorsus est sacerdotes, iam inde a postremis studiorum curriculi annis, praeparare, qui Catholicae Actionis naturam atque munia pernoscant, qui ad sese devovendum paratissimi sint, qui singulari adolescentium instituendorum studio ornentur, quique cum erga Ecclesiam Sanctam tum erga Summum Pontificem observantia praecellant. E quibus sacerdotibus Episcoporum erit sapienti consilio optimos deligere, eos paterna sollicitudine prosequi, eisdemque curam eorum committere qui, sacrae Hierarchiae auxilium conferentes, Ecclesiae causam in seipsos volentes susceperint.

Hi profecto erunt consociationum veluti columen, et apostolicae excitatores navitatis; ac sacrorum Antistitum partes hac in re ita exsequentur, ut consociationum externo regimine atque procuratione laicis viris permissis, id efficiant, ut principia ac normae, quae Hierarchiae auctoritas constituerit, fideliter constanterque in usum deducantur. Hoc quidem munus, quod impensam prae se fert sese abnegandi devovendique voluntatem, si difficultate non caret, dignum tamen est quod a sacerdotibus in sortem Domini vocatis obeatur, quibus quandoque summo Dei Numine opitulante, grata quoque gignet solacia, cum ex sua iidem sollertia strenuos visuri sint Christo milites interdum exsurgere, ad proelia Domini proelianda paratissimos. Atque iidem Dei administri maiorem procul dubio suae sollicitudinis mercedem suaviorem-que coelitus gratiam se percepisse arbitrabuntur, cum ex iis, quos cum Christo Iesu magis ipsi magisque coniunxerint, vel sacerdotio nonnullos initiari, vel religiosa vota nuncupare conspicient.

Nec metuendum profecto est per Actionem Catholicam religiosa sodalicia, optime equidem merita, vel pedetemptim aboleri vel minui, quae in utriusque sexus iuvenes instituendos tam frugiferam impendunt operam. Quin immo cum id genus consociationes ad propositum assequendum, non parum pro sua parte conferant, in quod Catholica Actio omni ope pro sua ipsius natura, intendit — in Christi scilicet Regnum latius proferendum — eidem idcirco magni sane momenti auxilium praestant, quandoquidem cum Catholica Actione consentiunt atque collatis cum ea viribus adlaborant.

Neque Actio Catholica oeconomicis vel « professionalibus », ut aiunt, sodalitatibus sufficitur, quae illud directo consequi nituntur, ut temporaria iis commoda comparent, qui in fabriles vel ingenuas artes incumbant. Has enim sodalitates suis legibus regi inque seipsas rerum technicarum periculum sustinere oportet, non secus ac necesse est politicas partes, quamvis ex catholicis hominibus constent, sui iuris prorsus esse atque

